385

92



QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis VIII. Aprilis.

M. MICHAELE DE LA VIGNE, Doctore Medico, Præside.

Est-ne Lac alimentum optimum?

I.

EX omnibus Naturæ bonis, quæ à Deo optimo maximo Homini viventium omnium principi ad vitam tuendam data sunt, nullum magis, votis omnibus expetitur quam Sanitas, integra illa quidem & inculpata, quæ, ut diuturnioris, ita & beatioris vitæ, author merito dici potest: Ea quippe in optimâ partium similarium temperie, atque in legitimâ dissimilarium confor-

matione conſiſtit, ut & in intima partium omnium unione & conſenſione, ex quibus firma valetudo conſtituitur, eaque duratura, ſi natura corporis perpetua foret & æterna.

II.

NATURAM corporis humani diverſimodè immutari nullus Mortalium negat, quæ quidem ex variis Elementis conflata, mutationi maximè obnoxia eſt, fit autem illa, dum calor nativus in ſubſtantiam aëream ſeu ſpirituoſam, liquidam ac ſolidam agit, eamque depaſcitur ac reſoluit, niſi in locum effluentis ſubſtantiæ reponatur alia ſimilis reſpirationis & nutritionis beneficio, quarum illa attracto aëre, ſpirituoſam, hæc cibis aſſumptis liquidam ac ſolidam reſtaurat.

III.

REPARATIO autem illa quæ nutritione perficitur, in alimentis potiſſimum conſiſtit, quorum virtus precipua poſita eſt in temperie & conſiſtentiâ; at temperies temperata, & moderata conſiſtentia in alimentis eligi debet vel quæ proximè ad eas accedit, ut noſtræ ſubſtantiæ ſimillima. Unde alimentum illud ὑγιεινότατον cenſetur & optimum, quod natura ſua temperatum eſt ac mediocris conſiſtentiæ ut pote εὔχυμον, εὔπεπτον,

ἀσφάλιστον, εὐκοίλιον ac proinde naturæ noſtræ magis familiare & amicum; è contra hoc improbatur & damnatur quod contrarias habet vires, alendis partibus minus idoneas.

IV.

LAC, ros ille vitalis, cibuſque ſuaviſſimus, varium ac multiplex occurrit pro vario animantium genere ex quibus mulgetur. Lac mulieris ſanæ, junioris, ac temperatæ primas tenet, quod infantibus ac pueris convenit, ut & Vaccinum adultis: verùm illud recens non vetuſtum, in primis qualitatibus temperatum mediæ conſiſtentiæ, album ac dulce eligitur, quod laudabilem ſuccum ſuppeditat, belle coquitur diſtribuitur & ſecedit.

V.

HISCE dotibus præditum Lac alimentis optimis merito adſcribitur, cave tamen, ne pravo uſu damnum afferat γαλακτοποσία, iis maximè quibus aut bilis effera aut humor Melancholicus ſupra modum aſſatus redundant, illis ſiquidem innocuus eſſe non poteſt lactis uſus, cum hic & ille humor pravis ſuis qualitatibus, optimum quodque corrumpant. Suis etiam non caret incommodis Lac, quod aut ὀξύνεται aut κνισοῦται: ſed hæc mala quæ emendari & corrigi poſſunt, non refor-

midant τὰ εὔκρατά τὲ καὶ ὑγιεινὰ σώματα, qua ratione temperatis naturis ac belle habentibus Lac pro cibo datur, eſtque illis alimentum optimum.

Eſt ergo Lac alimentum optimum.

Proponebat Pariſiis PETRUS GAMARE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1683.

Apud Franc. Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.